

3^e. Fulminato itaque Nino Semiramis cum filiis regnabat vidensque proceritatem ac generositatem Trebetae capta est amore ipsius. Cumque allocuta eum de copula stupri fuisset, ille nimium instigante se naturali iustitia incestum horruit maternum. Denique illa indesinenter instante, ille atrocitatem ac feritatem matris metuens ad callida nobilis ingenii convertitur argumenta. Siquidem matri sic respondisse fertur: 'Tuis¹⁾', inquit, 'o dulcissima mater, imperatis prompto ac libenti animo parebo, praecipue cum tui similem in toto orbe nullam reperire queam, si prius, quod mente gero, tuo pariter et auxilio et consilio adeptus fuero. Nam regnum filiorum Ioniti in Eva²⁾, quod Indi vel Bracmanni possident, auri et argenti et gemmarum et omnium rerum abundantia exuberat. Quod si imperio nostro adiungere valuerimus, tum demum securi cupitis immorabimur amplexibus'. His auditis mater verborum filii nimis credula elaborare coepit omni instantia, et fabricatis (f. 419) trigeribus aliisque utensilibus armorum infert copiam ac ciborum abundantiam. Deinde simul cum filio into consilio congregat de omni Asia virorum fortium infinita agmina ac deinde profert auri et argenti immensa pondera. Post haec fortissimus dux Trebeta militum suorum congregat agmina, et cum ab eis exegisset fidei sacramenta, larga distribuit stipendia. Ad naves deinde cum coniugibus ac liberis quasi totam Indiam possessuri ac stirpem Ionithi properant occisuri. Cumque naves impulissent et marinis fluctibus ac ventorum flatibus se commisissent, Trebeta oculos ac manus ad coelum erigens Tonantem invocatur, quatenus ipsius iussu ac ducatu in eam partem orbis transponatur, quo et ab humani sanguinis effusione cessare et matris possit incestum devitare. Cuius orationem innocentiae Deus amator exaudiens per Ionium secundis ventorum flatibus ad oceani littus veloci cursu naves transposuit, ac deinde boreali impulsu ad Yporeos montes seu ad ubera aquilonis usque perveniunt. Cumque ad occidentalem plagam Europae appulissent, egressi de navibus aras construunt, sacrificia instituunt, et hoc responsi Trebeta accepit, quod tamdiu exercitum ducens occidentem peteret, donec cervorum gregem obvium habuisset, et illic civitatem habitationis suae conderet. Haec cum audisset, castra moveri iussit, et peragrata tota Riparia ad fauces Mosellae fluminis pervenit, ac deinde per ripam ipsius ascendens Ardennam in vallem, quae nunc vallis Trevirorum dicitur, exercitum perduxit. Cumque inibi collocasset castra, Trebeta diluculo castris digressus gregem cervorum obvium habuit, statimque responsi illius fatalis non immemor socios prudentiores convocat ac lustrata omni valle

1) Die beiden letzten Buchstaben durch Beschädigung des Papiers verloren. 2) S. oben S. 311, N. 6.